

Audi fili mi, & suscipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vite. Viam sapientia monstrabo tibi. Id est, ut vite aeternae dona percipias.

Et ducam te per semitas aequitatis: quas cum ingressus fueris, non ardebuntur gressus tui. Semita id est, actiones aequitatis, dum inchoantur, arctae videntur & angustae: dum vero profectum capiunt, jam ex consuetudine speciosae videntur & late, psalmista testante, quod cum incipiens Domino dixisset: Propter verba laborum tuorum ego custodivi vias duras; postmodum jam proficiens canebat: Viam mandatorum tuorum cucurri, dum dilatares cor meum. Et si ergo semitae aequitatis cum ingredi coeperis, arctae tibi videntur, tamen eas cum ingressus fueris, non ardebuntur gressus mentis tuae: sed juxta quod Dominus ait: Jugum suave, & onus leve reperies. Etenim reprobi in hac vita, latum intrant iter; at in die novissimo ligatis manibus & pedibus mittentur tenebras. Pedes vero electorum dirigentur in viam pacis.

Et currens non habebis offendiculum. Tene disciplinam, ne dimittas eam. Custodi illam: quia illa est vita tua. Ne delesteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum via. Fuge ab ea, nec transas per illam: declina, & desere eam. Non enim dormiunt nisi cum malefecerint, & non rapiuntur somnus ab eis, nisi supplantaverint. Quo alacrius ad implenda Dei mandata cucurris: eo minus adversa quae te impediunt timebis. Nam quicumque in prava actione defudant offendiculum in medio cursu reperiunt, quia exemplo dum non praevident rapiuntur ad penam.

Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt. In actione scelerum, iniqui quasi epulis delectantur appositis. Vel certe vinum damnatorum bibunt, & esurientibus spicas tollere gaudent, ut esse moris impiorum scriptura sacra testatur.

Iustorum autem semita quasi lux splendens: procedit & crescit usque ad perfectam diem. Iustorum opera in luce scientiae peraguntur, & aeternam ducunt ad vitam: quae est perfecta dies.

Via impiorum tenebrosa: nesciunt ubi currant. Dicit de his Joannes Apostolus, qui diligit fratrem suum, in lumine manet, & scandalum in eo non est: qui autem odit fratrem suum, in tenebris est & in tenebris ambulat, & nescit quo eat: quia tenebrae obcaecaverunt oculos ejus. Cui contra superius dicitur sapienti: quia currens non habebis offendiculum, id est, scandalum.

Fili mi, audivisti sermones meos, & ad eloquia mea inclina aures tuas. Ne recedant ab oculis tuis: custodi ea in medio cordis tui. Vita enim sunt inventientibus ea, & universae carni sanitas. Omni custodia serva cor tuum: quia ex ipso vita procedit. Sunt qui recte vivere videntur hominibus: sed quia recta intentione non faciunt, a Deo qui cor respicit pravum, vita eorum reprobat, quae credebatur bona. Omni ergo diligentia cordis munditiam serva: quia ad ejus examen modus aestimabitur vite.

Remove a te os pravum, & detrahentia labia sint procul a te. Duobus modis sentiendum, ut & os tuum ne pravum loquatur aliquid, & tua labia ne detractionibus affluant custodias, & alios quoque quos huic vitio subditos nosti, ne te corrumpant fugias.

Oculi tui recta videant, & palpebrae tuae praecedant gressus tuos. Iter justitiae quod ingredi debeas, diligenter edisce, & in cunctis quae agere disponis, sollicitus ad quem sint finem ventura praevide. Hoc est enim palpebras recta videntium oculorum, tuos praecedere gressus: bonum opus quod acturus es sedula cogitatione praevinire: & quia secundum Deum fit meditando praevidere. Item palpebrae gressus praecedunt, cum operationem nostram consilia recta praeveniunt. Qui enim negligit considerando praevidere quod facit, gressus tendit, oculos claudit, pergendo iter conficit: sed praeviendo sibi metipsum non antecedit, atque idcirco citius corrumpit, quia quo pedem operis ponere debeat, per palpebram consilii non praevidet.

Dirige semitas pedibus tuis. Ne videlicet erres in actibus aut fide.

Et omnes viae tuae stabilentur. Ne levitate mentis a bono movearis proposito. Hinc & Apostolus: Stabiles estote & immobiles, abundantes in opere Domini semper.

Ne declines ad dexteram neque ad sinistram. Dextera via, bona, sinistra accipitur reproba. Non ergo dexteram

viam ambulare, sed ad dexteram declinare prohibebimur. Declinat enim ad sinistram, qui injustus est. Declinat ad dexteram, qui sibi vult arrogare quod justus est. Declinat ad dexteram, qui de suis viribus praesumat. Declinat ad sinistram, qui praesua fragilitate desperat se posse salvari. Declinat ad sinistram, qui stultitiae famulatur. Declinat ad dexteram, qui vult plus sapere quam oportet sapere: quod & de ceteris virtutibus ac vitiis, eodem modo intelligitur.

Averte pedem tuum a malo. Hoc est, ne vel huic vel illuc a recto devies: quia virtutes discretionem quaerunt, & nimietas omnis in vitio est.

Vias enim quae a dextris sunt novit Dominus. Id est elegit, & placent illi; ideo displicentibus & reprobis dicitur est: Non novi vos, quod est dicere, non vos elegi, non mihi placetis.

Perversa vero sunt, quae a sinistris sunt. Ipse enim reus faciet gressus tuos: iinera autem tua in pace producent. Si avertaris a malo pedem tuum, si bona quae docui Domino juvante facere studueris, adit ipse propitius conatibus tuis, ut & nunc recte ingredi, & tunc ad pacem valeas pervenire sempiternam.

Caput V.

FILI mi, attende sapientiam meam, & prudentiam meam inclina aures tuas. Hactenus generaliter castigaverat auditorem. Hic sub specie meretricis, ab haereticorum nequitia prohibet.

Ut custodias cogitationes, & disciplinam labia tua conservent. Cogitationes quibus recte credas, labia quibus ipsam fidem per simplicia verba, & consueta atque Ecclesiastica profitearis. Sed & juxta literam qui adheret meretrici, etiam labia vel osculando, vel turpia fando commaculat.

Ne intenteris fallaciae mulieris. Favus enim distillans labia meretricis: Recte sapientia hujus mundi, atque concupiscentia ejus, fallax mulier dicitur, quae per nitorem gloriae temporalis, & peccati dulcedinem, animas reprobatorum dum demulcet, a Deo meretriciari facit, & de vana spe praesentis saeculi deceptos fallit. Aliter: Cum in ore haereticorum dulcedo eloquentiae, non ad sufficientiam solummodo, verum etiam ad superfluitatem resonat, ob id fallitas, quia apte proferri cernitur, veritas a stultis existimatur.

Et nitidius oleo guttur ejus. Oleo Spiritus sancti, fides Catholica consecratur: quo nitidius suum guttur ostentant, qui suos sensus, patrum fidei anteponunt. Patet de meretricis, quia & sermonis suavitate, & formositate corporis, ad capiendos miseros quaerit.

Novissima autem illius amara quasi absinthium, & lingua acuta quasi gladius biceps. Potio absinthii intus amarefcit in visceribus, gladio foris membra feriuntur. Ut igitur ostendat iniquos in novissima ultione & interius impleri, & extrinsecus penis circumdari perpetuis, & amaritudine illos absinthii torquendos, & gladio asseverat esse truncandos. Quare autem idem gladius biceps sit dictus, Dominus aperit cum ait: Sed eum time, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.

Pedes ejus descendunt in mortem & ad inferos gressus ejus penetrant. Per semitam vitam non ambulat: vagi sunt gressus ejus, & investigabiles. Vagi sunt sensus haereticis deceptionis: quia alii Christum Deum, alii hominem esse negant: alii carnem accepisse, alii animam contradicunt: alii eum de virgine natum: alii Spiritum sanctum, alii patrem Deum esse, alii penitentibus veniam dandam esse confiteri prohibent. Et in tam innumera haec pestis se findit itinera, ut penitus quot sint investigari nequeant. At Catholica veritas vaga & investigabilis non est: quia una eademque cunctis est agnita totum per orbem fidelibus.

Nunc ergo fili mi audi me, & ne recedas a verbis oris mei. Longe fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus ejus. Et Apostolus ait: Fugite fornicationem: quia nimirum primum hujus vitii remedium est longe ab eis fieri: quorum praesentia vel alluciat, vel cooperetur ad vitium. Sed & ab haereticorum auditu prostris segregari, infirmis auditoribus prodest.

Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli. Ne honorem quo ad imaginem Dei creatus es, immundorum spirituum voluntatibus subdas: neque accepta vivendi spatia ad libitum adversarii immitis expendas. Cuicumque enim se-

leri quisque subicitur, in hoc profecto dominatui malignorum spirituum mancipatur.

Ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena. Ne demoniorum facta adjuves: si vel ingenium animi, vel corporis tui vires, ad patranda facinorosa tradas, domumque alienam, id est, numerum perditorum, te adjecto multiplices. Et pulchre dicit: labores tui sint in domo aliena: quia sunt qui juxta Prophetam, ut inique agant, laborant: & haeretici quantum laborem contra Ecclesiam subierint, utinam lateret.

Et gemas in novissimis, quando consumpseris carnes & corpus tuum, & dicas: Praeponendum a superiori, ne forte: & est sensus: Ideo te castum custodi, ne forte in penis gemere cogaris, quando non solum carnales illecebrae transeunt: sed & ipso corpore relicto, anima quae per corpus gessit cuncta reddere compellitur. Verum & in hac vita sapius contigit, ut qui in adolescentia luxuriose vivendo habita disperseant, tempore senectutis inopia deficiant, & refrigerante calore carnis, ac flore juventutis marcescente, rebus suis quas lascive venderant, alios uti conspiciant: gementisque fera paenitentia dicant quae sequuntur:

Cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquievis cor meum. Nec audivi vocem docentium me, & magister non inclinavi aures meas. Disciplinam dicit Ecclesiasticae fidei, increpationes autem quibus haeretici cur ab Ecclesia recesserint oburgantur. Patet de fornicariis.

Penae sui in omni malo, in medio Ecclesiae & synagoga. Ecclesia & synagoga Graeca nomina sunt, & unam eandemque rem Latine significant, id est, conventum plurimorum adinvocatio. Si autem subtilius distinguantur, Ecclesia convocatio, & synagoga congregatio interpretatur. Et vetus quidem Dei populus utroque nomine vocabatur: Nunc autem gratia distinctionis, ille synagoga, noster Ecclesia dicitur, merito scilicet fidei & scientiae majoris: quia & irrationalis creatura potest congregari. Denique dixit Deus: Congregentur aquae in congregationem unam. Rationalis autem solum & sensibilis potest convocari. Verum aliquando haec nomina & malorum conventus significant: unde & illud: Exarsit ignis in synagoga eorum. Et: Odivi Ecclesiam malignantium. Quod ergo sero penitens ait: contempserit sapientiam penae sui in omni malo, in medio Ecclesiae & synagoga: videtur misero magnitudinem suae damnationis perpendenti, quia nihil penae fuerit sceleris, quo non ipse sit irretitus, qui tanta meruit tormenta subire, & hoc ad cumulum accesserit miseriae, quod non extremum ipse peccantium, sed medius magis & quasi autor extiterit: vel certe in mediis sanctorum conventibus corpore positus, alienam ab eis vitam ducere non timeat. Et de haereticis specialiter sentiendum: qui nec veterum patrum, nec novorum dictis & exemplis potuerint ab errore revocari.

Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui. Desiderio utere propriae mulieris, & ejus ministeriis fovere devotis.

Deriventur fontes tui foras: & in plateis aquas tuas divide. Filium tuum ac filiam nuptui trade: & hoc manifeste facito pluribus consciis.

Habeto eas solus: nec sint alieni participes tui. Solum in tua potestate retine qualibus matrimoniis liberos tuos socies: nec sint fornicarii vel meretricis, tuae sobolis participes.

Sit vena tua benedicta, & latere cum muliere adolescentiae tuae. Tanta te temperantia cum muliere quam adolescens accepisti, etiam cum senuerit serva: ut merito fidelis castimoniae benedictionem consequaris in prole.

Cerva charissima & gratissimus hinnulus. Illa sit tibi semper charissima conjux quae sicut cerva serpentes, ita persequatur scorta & suis effugiat ab aedibus: sit natus ex ea filius & ipse castitatis amator gratissimus.

Ubera ejus inebrient te omni tempore: in amore illius delectare jugiter. Non uxorio operi semper insisteret docet: sed monet, ne vel prima vivente aliam ducas, vel meretrici unquam socieris. Aliter: Quod ait, Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui: Docet ab haereticis cavendum, & custodiae scripturarum ac lectioni attendendum, scientiam, inquit, quam praedicas aliis ipse serva, & tui irrigationem sermonis infunde. Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide. Cum ipse servaveris: tunc & aliis praedica, & in magna auditorum amplitudine, Tom. V.

divina eloquia juxta unicujusque qualitatem dispensa. Habeto eas solus. Aquas & in plateis dividimus, & tamen soli possidemus: quando exterius late praedicationem fundimus, & tamen per eam laudes humanas consequi minimè ambimus, Nec sint alieni participes tui. Immundi spiritus participes sunt doctores: si ejus mentem vel fastu elationis dum praedicat, vel haeresi, vel quolibet vitio corrumpunt. Solus autem aquas possidet, cum membris Ecclesiae fideliter connexus, ab extraneorum se consortio liberum servat. Sit vena tua benedicta, & latere cum muliere adolescentiae tuae. Sit doctrina tua & quaecumque nascuntur ex ea in benedictione Ecclesiae, & latere cum ea cui ab adolescentia, id est, a primo credendi tempore conjunctus es. Cerva charissima & gratissimus hinnulus: ubera ejus inebrient te omni tempore: in amore illius delectare jugiter. Cerva charissima sive gratissima, ut quidam codices habent, sancta est Ecclesia, quae serpentinam solet odio habere & conterere doctrinam. Gratissimus hinnulus, populus est ejus virtutum varietate delectabilis, & eadem castae fidei semper emulatione succensus. Cujus uberibus inebriamur, cum utriusque testamenti paginis contra haereticorum fraudes instrumur: cujus pace & amore jugiter delectari, magna est exercendarum occasio virtutum.

Quare se aueris fili mi ab aliena: & foveris sinu alterius. Et de meretricis & de haeresi sentiendum.

Respicit Dominus vias hominis, & omnes gressus illius considerat. Non putent se adulteri tenebris noctis ac parietum obtegi: non haeretici sua molimina posse caeli: quia tenebrae non obscurabuntur a Domino, & nox sicut dies illuminabitur.

Iniquitates suae capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. Distat inter peccatorem & impium: quod peccator appellatur omnis qui vel in parvis, vel in magnis sceleribus decidit. Impius autem, qui vel nunquam fidem recepit, vel enormitate scelerum ab ea quam accipit anathema factus est: ut haeretici, vel Catholici publicis flagitiis involuti. Qui funibus peccatorum suorum constringuntur, cum ineffabili augmento suae pravitatis intereunt. Qui enim funem facit, torquendo semper & involvendo fides fidibus auget. Talis est tortuudo operum malorum: tales libri haereticorum, in quibus prava pravis neccentes, non aliud scribendo quam quo se arctius obligent agunt.

Ipsa moritur quia non habuit disciplinam: & multitudine stultitiae suae decipietur. Quia multa de adulteris vel de haereticis disputaverat, more suo in clausula narrandi qualis sit talium finis, ostendit: id est, quia ad mortem tendant aeternam, qui disciplinam detestati sunt vitae. Multitudinem autem stultitiae suae dicit, cum haeretici se sapientiores sanctis patribus autumant: vel cum opera tenebrarum facientes iniqui, aut Dominum haec non videre, aut se facile ejus iram putant posse tolerare.

Caput VI.

FILI mi si sponderis pro amico tuo: defixisti apud extraneum manum tuam. In promptu est literae sensus: quia studet ei qui spondit pro amico, ut ipsum amicum sollicitus admoveat, quatenus reddita pecunia quam debet creditori, & se & ipsum liberet. Allegoricè autem in hac *sermo* doctorem: porro in sequenti vacante quemlibet, ut se gerere debeat instruit. Dicitur enim praecceptor: si sponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam: quod est aperte dicere: si animam fratris in periculo tuae conversationis acceperis, jam ligasti mentem apud curam sollicitudinis quae ante deerat.

Illaqueatus es verbis oris tui: & captus propriis sermonibus. Quia dum commissis tibi cogitis bona praedicatione dicere: teipsum prius necesse est quae dixeris custodire.

Eac ergo quod dico fili mi, & remittis manum libera: quia incidisti in manum proximi tui: discurre, festina, suscita amicum tuum. Non tantum tu ipse bene vivendo vigilare memento, sed & illum cui praes a peccati torpore praedicatione disjunge.

Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebrae tuae. Somnum oculis dat, qui subditorum curam omnino negligit. Dormitat autem, qui reprehensibilia eorum gesta

cognoscit, sed hæc propter mentis tedium digna invectione non corripit.

Ervere quasi dammula de manu, & quasi avis de laqueo. Quantum avis de laqueo, vel dammula de manu captantis, querit evadere: tantum nitere, ut auditore tuo salubriter instituto, ipse à sponione vitæ ejus liber reddaris. Vel certe quia dammula mundum natura est animal, velox cursu, visûque acerrimum. Unde & Græcè *ὄρνις ἁγία*, id est, à videndo, dorcas nuncupatur. Avis autem volando alta petere consuevit. Cùm in docendis occuparis subditis, mundus à peccatis omnibus, & strenuus in operibus bonis, perspicax in deprehendis malorum insidiis, & virtutum penitus fultus esse fatage: quatenus expleto prædicandi negotio, & ad supetna transvolare, & cœlestis vitæ pascua meritis intrare.

Vade ad formicam ò piger, & considera vias ejus: & discite sapientiam. Hinc vacantem hortatur quemque, ut si ad alios erudiendos non sufficit, saltem suimet curam agere non negligat. Et si sapientiam docendi nequit ab homine discere: vel operandi sapientiam discat à formica. Formica dicitur strenuus quisque & providus operarius, qui in præfenti vita velut in æstate, fructus justitiæ quos in æternum recipiat sibi recondit.

Qua cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat æstate cibum sibi, & congregat messe quod comedat. Si tantillum animal, principe carens, & rationis expertus, natura duce sibi providet in posterum: multo magis tu ad imaginem Dei conditus, ad videndam ejus gloriam vocatus, doctorum magisterio adjutus, ipsum conditorem habens ducem, debes in præfenti bonorum operum fructus congregare, quibus in æternum vivas in futuro. Hæc enim vita in eo messi comparatur & æstati: quod nunc inter ardores tentationum tempus est colligendi futurorum merita præmiorum. At dies judicii hyemis similitur rigoribus, quia tunc nimirum nulla relinquatur facultas pro vita laborandi, sed tantum cogitur quisque de horreo præfite actionis, quod recondidit, proferre. Unde & Dominus præcipit dicens: *Orate autem ut non fiat fuga vestra in hyeme, vel sabbato.* Hyeme enim facultas, sabbato licentia, juxta legem, deest fructus vitæ colligendi, ac penuriam fugiendi perpetuam.

Usquequo piger dormis? quando confurges à somno tuo? paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conferes manus ut dormias. Usquequo, inquit, dormis in vitiis: quando potes resurgere ad bene operandum, qui noxio torpore depressus semper dicis, paululum adhuc jacebo, & sic postea penitendo resurgam. Fit namque ut te semper differente opus bonum, repente judex qui mala tua facta puniat adfit. Hoc est enim quod sequitur.

Et veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Egestas namque & pauperies poena est ultima, in qua damnati nil divitiarum merentur: quæ quasi viator veniet, quia improvisa & subitanea: quasi vir armatus, quia devine perpetuo non potest. Patet juxta literam, quia pigritia nutrit egestatis & penuriam.

Si vero impiger fueris, venit ut fons messis tua. Fructus terreni quos metimus, non fonti comparantur sed cisterna, quia ad tempus pascunt colligentem, & in tempore deficiunt. At qui impiger fuerit pro cœlestibus laborare divitiis: hujus messis ut fons adveniet, quia mercedem laborum indeficientem percipiet.

Et egestas longè fugiet à te. Quia satiabor, inquit Psalmita, dum manifestabitur gloria tua.

Homo apostata vir inutilis: gradietur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia seminatur. Huic exemplum veniet perditio sua, & subito conteretur, nec habebit subitò medicinam. Dixerat de hæresibus & aliis vitiis generibus, instituerat præceptorem, excitaverat pigrum, at nunc redarguit & schismaticum. Ubi notandum, quia quem seminantem jurgia dicere voluit, prius apostatam nominavit: quia nisi more superbiens angeli à conspectu conditoris prius intus averse mentis caderet, foras postmodum ulque ad seminanda jurgia non veniret. Qui rectè dicitur quod annuit oculis, terit pede, digito loquitur. Interior namque est custodia quæ ordinata servat exterius membra. Quia ergo statum mentis perdidit, foras in inconstantiam motionis fluit: atque exteriori mobilitate indicat,

quod nulla radice interius subsistat.

Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus. Eundem quem supra plenius quam sit Deo odibilis discordiam seminando insinuat. Quod autem animam habere Deum dicit: humano more facit, ut eum plena intentione, & non leviter tales odisse significet. Tale est in Isaiâ: *Calendas vestras & solennitates vestras odivit anima mea.*

Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendaciam, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias. Enumerat sex capitalia crimina: quæ tamen comparatione discordiam seminantis quasi minora deponit: quia nimirum majus est facinus illud quo unitas & fraternitas, quæ per Spiritum sancti gratiam est connexa, dissipatur. Potest enim quilibet oculos jactanter extollere, lingua mentiri, homicidio pollui, mala proximo machinari, aliis sceleribus membra subdere, falsum contra quempiam testimonium proferre: quod non idem esse putandum est quod supra linguam mendacem nominat. Potest enim mendacium, sed non contra proximum dici. Nam & beatus Augustinus odo esse genera mendacii in libro quem de mendacio composuit docet. Potest, inquam, perditus quisque hujusmodi mala, vel sibi metipsum vel aliis inferre, pace servata Ecclesiâ. At Donatus & Arius eorumque sequaces gravius est quod fecere: qui concordiam fraternæ unitatis, discordias seminando, sciderunt.

Conserva fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ. Nunc sub adulteræ mulieris specie prohibet ab auditione hæresicos.

Liga ea in corde tuo jugiter, & circumda gutturi tuo. Et in cogitatione præcepta Dei fixa retine, & loquelam tuam horum undique dulcedine, ne fortè lingua labaris, communito.

Cum ambulaveris gradiantur tecum, cum dormieris custodiant te, & evigilans loquere cum eis. Quia mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio discipline, ut custodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extranea. Non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum. Tanta sit tibi meditatio divinæ legis, ut cùm vigilans aliquid operaris: hanc sedula mente recolas: cùm dormire velis, in hujus memoria quiescas: cùm evigilaveris, hanc primò ad mentem revoces. Sic etenim fiet ut nec vigilans offendas, nec à timore nocturno ledaris. Aliter: Cùm ambulaveris in profectu justitiæ: gradiantur tecum mandata Dei ut te instruant. Cùm dormieris in morte: custodiant animam tuam ne rapiat hostis. Cùm evigilaveris in resurrectione: loquere cum eis expectando præmia quæ tibi, si ea servaveris, promissa erant.

Ne capiaris nutibus illius. Patet de adultera. Sed & hæretici si bene vivere, & aptè se agere videntur: vide ne seducaris eorum doctrinis.

Precium enim scorti vix unius panis est. Mulier autem viri pretiosam animam capit. Recordare quia brevis voluptas est fornicationis, & perpetua poena fornicatoris. Sicut enim unus panis diurnam solum effugit esuriam, & nihilominus postmodum esurit, qui comesto pane satur abscesserat: sic qui intrat ad scortum, ad horam quidem evaporat libidinem, sed post paululum ardentior redit.

Nunquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant: aut ambulare super prunas ut non plante comburantur ejus? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam. Soli ei conceditur hæreticorum libros legere, qui adeo solidatus est in fide Catholica, ut verborum dulcedine, vel astutia nequeat ab ea segregari.

Non grandis est culpa cùm quis furatus fuerit: furatur enim ut esurientem impleat animam: deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus sue tradet, & liberabit se. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam, perdet animam suam. Turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur. Furtum non ex sua estimatione, sed ex comparatione peccati majoris, id est, adulterii, non grandis esse culpæ perhibetur: sicut Jerusalem gravius peccanti dicitur: Justificata est Sodoma ex te, non quia Sodoma nulla, vel pauca, sed quia Jerusalem plura peccavit.

Quia scelus & furor viri non parcat in die vindictæ: nec acquiescet cuiusquam precibus: nec suscipiet pro redemptione dona plurima. Et de Domino intelligendum: quia qui nunc parcat reprobis, non parcat in die mortis: nec acquiescet precibus serò clamantium ad se: nec dona quorum non est ibi tempus, vel facultas, suscipiet. Zelatur enim si quis sponsam suam, id est, Ecclesiam sive animam quamque fidelem, corrumpere præsumit.

Caput VII.

FILI mi custodi sermones meos, & præcepta meæ recordare tibi. Fili honora Dominum & valebis: præter eum vero ne timeris alienum. Serva mandata mea, & ab aliena hæc sermo eadem quæ superior sub meretricis persona plenius explicat.

Et legem meam quasi pupillam oculi tui. Tam sollicitè serva quæ docco, quasi nil rectè sine his aspicere vales.

Liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui. In digitis, in actibus dicit: in tabulis cordis, in latitudine cogitationis. Denique & alia translatio sic dicit: Describe eam in latitudine cordis tui.

Dic sapientie, soror mea es: & prudentiam voca amicum tuam, ut custodiat te à muliere extranea, & ab aliena quæ verba sua dulcia facit. Sapientiam Ecclesiasticam doctrinam, sororia tibi dilectione conjunge, ut hæc te à pollutione servet hæretica: quæ à castitate Ecclesiæ probatur extranea.

De fenestra enim domus mea per cancellos prospexi, & vides parvulos. Aptè autem Salomon de fenestra domus suæ se per cancellos prospexisse dicit, ut parvulorum gesta didicisset. Qui enim de fenestra per cancellos prospicit, ipse quidem ea quæ foris aguntur plenè considerare sufficit, nec tamen ipsum qui foris infra degunt aspiciunt. Namque hoc est quod Apostolus ait: Spirituales enim judicat omnia: ipse autem à fenestra judicatur. De fenestra enim domus meæ per cancellos prospexi, & video parvulos. Patet juxta literam: quia sapientium aspectus magistrorum, & infirmorum actus sedulo scrutatur, & fortium. Aterna Dei sapientia de cælo prospexit, & videt omnes filios hominum.

Considero recordem juvenem qui transiit per plateas juxta angulum. Juvenem vocat adulterum, non propter virtutem, sed propter instabilitatem. Qui transit in platea: quia deseruit angulum quem quæ ducit ad vitam. Juxta angulum, quia defecit à rectitudine.

Et prope viam domus illius graditur. Quia à via veritatis declinavit, meritò viæ domus meretricis vel hæretici appropriat, quæ rectè juxta quod exposuimus, & in platea, & juxta angulum posita est.

In obscuro advesperascente die, in noctis tenebris & caliginibus. Quia jam talis per cæcitatem cordis ad tenebras festinat peccati & damnationis.

Et ecce mulier occurrit illi ornata meretricio: præparata ad capiendas animas. Patet hæc cuncta juxta literam de meretricis operibus. Verum doctrina hæreticorum quemcumque incautum reperit & recordem, hunc decipere tentat: ipsa etenim ornata apparere meretricio, quia immun-da præfulget eloquentia. Præparata est ad capiendas animas: quia quoscumque sibi sociare potest, & spiritali morte perimit.

Garrula & vaga, quietis impatiens. Quietem Ecclesiæ turbare desiderans.

Nec valens in domo consistere pedibus suis. Nulla est hæresis quæ primis sit contenta discipulis: hi sunt enim domus ejus, sed semper novos quos decipiat querit.

Nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians. Foris, cùm paganos rapit: in plateis, cùm voluptuosos: juxta angulos, cùm alios hæreticos.

Apprehensumque desolatur juvenem. Verborum fallentium blandimentis tentat instabilem.

Et procaci vultu blanditur dicens: visittas pro salute devoti: hodie reddidi vota mea. Idcirco egressa sum in occursum tuum desiderans te videre, & reperi. Juxta literam patet intellectus quia meretrix convivium se permagnificum præparat fatetur: at hæretici in tuncis quæ agunt, victimam se salutis Deo immolare, vel autumant, vel autumate gestiunt. Nam & Dominus ad discipulos: Sed venit,

inquit, hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium præstare Deo.

Intexui funibus lectum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto. Solent lecti qui ex funibus, vel juxta aliam translationem, intitis intexuntur, molliores fieri quàm qui ex ligno, vel corio, vel qualibet alia materia substruuntur. In lecto ergo funibus intexto, meretrix molliorem quietem designat. In tapetibus verò pictis ex Ægypto, etiam oculorum tentat illecebras: quibus nefando aspectu irretitis, facilis ad seducenda mentis arcana penetret. Quia verò nomine funium aliquando solent divina præcepta figurari, quæ à nostris nos voluptatibus coerendo religant: promittunt se hæretici contextu verborum cœlestium salubre suis auditoribus quasi stratum parare, in quo à vitiis tumultibus libero corde quiescant: sed veraciter illis funibus peccatorum construunt locum perditionis, ubi perpetuo pedes manique alligati damnantur. De quo Dominus in Apocalypsi: Et dedi, inquit, illi tempus ut penitentiam ageret, & non vult penitere à fornicatione sua: ecce mitto eam in lectum, & qui mœchantur cum ea in tribulationem maximam. In tapetibus verò pictis ex Ægypto, ornatus eloquentiæ, & dialecticæ artis versutia, quæ ab ethnicis originem sumpsit, intelligitur: per quam mens hæretica sensum doctrinæ pestilentis quali meretrix thorum facinoris se texuisse gloriatur.

Aspersi cubile meum myrrha, aloë, cinnamomo. Promittunt se tales odorem cœlestium habere virtutum: quibus sua suorumque corda velut funibus cubilia venusta conspiciunt, sanctificant, perficiant, ac dicere posse cum Apostolo: Quia Christi bonus odor sumus Deo.

Veni, inebriemur uberibus, & fruamur cupiris amplexibus, donec illesceat dies. Doctrinæ sanctæ poculis se invicem satianos jactant hæretici, & virtutum gratia conjungendos: donec eorum gesta lux sequatur æterna.

Non est enim vir in domo sua: abist via longissima. Non est, inquit, Christus corporaliter in Ecclesiâ: surgens enim à mortuis ascendit in cœlum, nobisque ministerium gubernandæ Ecclesiæ, suam videlicet domum reliquit.

Sacculum pecunia tulit secum. Gloriam resurrectionis & immortalitatis Deus secum deculit, quo illius patriæ civis lætificaret ac ditaret.

In die plenæ lune reversurus est in domum suam: irretivit enim multis sermonibus, & blanditiis laborum protraxit illum. In tempore enim quo electorum suorum Ecclesiâ numerum compleverit, revertetur ad judicium.

Stanim eam sequitur quasi bos ductus ad viciniam, & quasi agnus lasciviosus & ignorans quod ad vincula stultus trahatur: donec transfingat sagitta securus ejus: velut si avis festinet ad laqueum, & nescit quod de periculo anima illius agitur. Nunc ergo fili audi me & attende verba oris mei, ne abstrahatur in viis illius mens tua: neque decipiaris semitis ejus. Multos enim vulneratos deiecit. Id est, quasi stultus nesciens ipse ductus ad interitum.

Et fortissimi quique interfecit sunt ab ea. Ut ipse Salomon sapientissimus virorum, ut David fortissimus, ut David manufactissimus à muliebri decipula, ut Origenes ab hæretica, quem post Apostolos Ecclesiæ magistrum fuisse quamdiu rectè sapuit qui negaverit errat.

Via inferi domus ejus, penetrantes interiora mortis. Sed de Ecclesiâ Dominus ait: Quia portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Interiora autem mortis, acerrima gehennæ tormenta, quasi arctiora & obscuriora dicit, quibus hæreticos & fornicarios constat esse mergendos, sicut de sanctis pro Domino in hac vita patientibus adversa dicitur: Quia misit eos custos in interiorum carcerem: atrociorum videlicet, & fœdiorum & obscuriorum.

Caput VIII.

NUNQUID non sapientia clamitat: & prudentia dat vocem suam? Nunquid non Dominus palam locutus est mundo, & in occulto locutus est nihil? Quid ergo ejus neglecto Evangelio, ad hæresim potius vel lasciviam quæ in angulo susurrant audiendum, miser consiliunt?

In summis excelsisque verticibus super viam in mediis semitis stans, juxta portas civitatis. In monte discipulos simul & turbas docuit: sed & per vias sæpe his qui conveniebant prædicabat, & eos qui cura indigebant, sanabat. In ipsa etiam porta civitatis Naim mortuum resuscitans: